



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. De differentiâ inter actionem paſionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

SECTIO III.

De differentiâ inter actionem & passionem.

- S**EXTA CONCLVSIO. Causalitas seu actio, quâ efficiens producit formam, est idem realiter cum causalitate seu passione quâ subiectum eandem formam sustentat seu producit materialiter. Hanc tenet P. Suarez Disputatione 40. Metaphysicæ, sect. 1. & communiter recentiores. Pro eâ arguunt nonnulli Primò, quia actio causâ efficientis non distinguitur à motu; sed motus est idem realiter cum causalitate materiali, seu cum passione, quæ sunt idem; ergo actio & passio erunt etiam idem. Consequentia est euidentis. Minor probatur, quia de ratione motus est, facere vt subiectum se habeat aliter ac antea, quod formaliter fit per passionem, ergo motus & passio erunt idem. Deinde probatur Maior, scilicet, motum & actionem esse idem, quia productio formæ in subiecto formalissimè est motio ipsius subiecti, quod non aliter mouetur nisi per formam in se productam & receptam, sed hoc argumentum non vrget vllò modo; quia motus formaliter non consistit in actione aut passione, sed in receptione formæ. Vnde etiam illi fatentur, si diuinitus vnio animi rationalis creetur, adhuc materiam primam tunc mutandam, sicut de facto etiam mutatur formalissimè per animum rationalem, quem tamen non causat. Ergo motus formaliter in vnione consistit; ergo argumento à motu petito non potest vllò modo probari, actionem efficientis & causalitatem subiecti esse idem. Secundo respondeo, adhuc admittà Minori, motum scilicet & passionem esse idem, posse negari Maiorem, scilicet actionem esse idem cum motu.
- 15 **Q**uando verò in probatione dicitur, *productio formæ in subiecto est motus*, respondendum est, iam ibi coniungi duo, scilicet *productionem formæ, & in subiecto*; primum est actio, secundum prouenit à passione, illa autem inter se non esse idem, sicut homo in hoc loco dicitur duo distincta, & hominem, & vocationem, quod adhuc amplius declarabitur ex secundo argumento.
- Secundo arguunt: Quia alterans subiectum producit calorem in subiecto, ergo eius actio est productio caloris in subiecto, ergo & passio. Patet consequentia, quia idem est, formam recipi à subiecto, & formam produci in subiecto. Sed neque hoc argumentum vrget: posset enim quis respondere, productionem caloris in subiecto duo dicere realiter in se distincta, & productionem caloris, de se indifferentem ad hoc vt calor esset vel non esset in subiecto, & hanc esse actionem causæ efficientis; deinde dicere etiam receptionem ipsius caloris producti in subiecto, & hanc esse passionem, quod non impugnetur predicto argumento. Imò adderet quis, eas duas causalitates esse inter se realiter separabiles, & posse manere productam formam efficienter etiam per hanc numero actionem, licet non daretur causalitas subiecti in eam formam, sed altera actio huius defectum supplens.
- 17 **A**duertè, idem esse, formalissimè producere formam in subiecto, & formam produci in subiecto; sicut idem est, me videre obiectum, & ob-

iectum à me videri; non tamen idè debet censeri productionem formæ in subiecto esse actionem solam: nam in hoc includuntur duæ entitates, scilicet & productio formæ, & receptio in subiecto, vt paulò antè dixi, quæ duæ entitates etiam includuntur in productione passiuâ formæ in subiecto, ex quo solum licet inferre, productionem actiuam formæ in subiecto non distingui realiter, à productione passiuâ eiusdem formæ in subiecto; non tamen inferitur, productionem efficientem actiuam & passiuam formæ esse idem cum productione materiali actiuæ & passiuæ consideratâ eius formæ in subiecto. Ratio à priori est, quia hîc sunt duæ causæ realiter concurrentes; possum ergo ego considerare duos influxus, à qualibet vnus; ille, qui ab efficienti esset actio, quâ effectus diceretur productus, solum tamen ab efficienti, sicut & solum hæc denominaretur agens, seu causans per eam actionem; alter verò influxus qui esset à subiecto, diceretur passio, & per illum etiam forma denominaretur causata, non ab efficienti, sed à subiecto: sicut etiam per eandem passionem ipsum subiectum diceretur causans, ex vtraque autem causalitate simul sumptâ integrari motum, illas autem inter se esse realiter distinctas. Denique, Antecedens esse falsum, dicam infra, ostendens, motum in solâ vnione formaliter consistere, quod & in primo argumento notauit.

Tertiò arguitur: Quia si distingueretur actio & passio, ipsa actio deberet subiectari in ipso subiecto, neque enim potest recipi in termino aut in agente; vel ergo ea actio dependet se ipsâ à subiecto, vel per aliam actionem distinctam. Non per aliam, quia daretur processus in infinitum, ergo per se ipsam; ergo illa actio se ipsâ dependet à subiecto. Sed nõ dependet ab illo vt terminus in quo sistat subiectum, ergo dependet vt causalitas illius, & vt via ad ipsam formam; ergo per illam causatur forma à subiecto, ergo actio causæ efficientis est etiam causalitas materialis seu passio. Huic argumento facillè quis posset respondere, eam actionem pendere à subiecto non vt viam & causalitatem ipsius, imò neque vt terminum productum ab eo subiecto, sed solum vt à subiecto adhesionis (ad modum quo de creatione dicemus infra) vnde nullatenus inferitur, subiectum per eam actionem aliquid producere, quia nullatenus ea actio oritur ab eo subiecto, sed solum in eo recipitur.

Quartò quidam arguunt: Quia in conceptu actionis generatiuæ, prout distinguitur à creatiuâ, includitur dependentia à subiecto, ergo actio generatiua est formaliter passio. Quo argumento volunt probare, nec ratione distingui actionem eductiuam à passione. Verum, neque identitatem realem probant, quia negabit aduersarius actionem generatiuam esse formaliter dependentiam termini à subiecto, sed solum radicaliter, quia vt differat à creatiuâ, sufficit eam exigere associari cum causalitate subiecti, quam exigentiam non habet actio creatiuâ, quæ vt talis excludit consortium causalitatis à subiecto.

Quintò: Quia vel causalitas materia in forma dependet à solâ materia, vel etiam ab agente. Si à solâ materia, ergo illa causalitas non est facta, quia non habet causam efficientem; nam materia solum est causâ materialis: dicere autem, eam

eam causalitatem non esse factam, omnino est Chimericum; ergo fatendum, illam causalitatem materialem dependere à causâ efficienti: sed non dependet ab illâ vt terminus, ergo vt via & actio illius, ergo causalitas materialis est etiam actio causâ efficientis. Hoc argumentum coincidit cum tertio: discrimen autem solum est, quod tertium ab actione, hoc verò à passione desumitur. Est autem hoc aliquantò difficilius, quia ibi poterat actioni negari dependentia à subiecto vt à causâ, quia hæc dependentia à subiecto non conuenit omni rei: at non possumus negare passioni seu causalitati materiali dependentiam immediatam saltem à Deo vt à causâ efficiente; vnde videtur inferre, & Deum per illam passionem efficienter producere formam. Nihilominus tamen possit quis respondere, eam passionem se ipsâ pendere à Deo, non vt viam ad formam, sed vt terminum; habere autem Deum aliam actionem quâ illum terminum producat. Neque videtur inconueniens vt, quæ est actio respectu vnius causæ, sit terminus respectu alterius, sicut dicunt omnes illi, qui actionem creaturæ distinguunt ab actione Dei. Quæ etiam solutio suo modo tertio argumento potest applicari.

Licet autem hæc omnia argumenta vtrumque possint solui, nõ dubium quin maxime probabilem reddat nostram Conclusionem, & quod facilius percipiatur productio formæ ex subiecto, si dicatur realiter esse idem causalitas subiecti, cum causalitate efficientis, & dependere, sicut & ipsa forma, materialiter à subiecto, & ab efficiente efficienter. Quibus argumentis potest addi aliud, quo sæpè vtitur, desumptum ex superfluitate; quia nulla est necessitas realiter distinguendi eas duas causalitates, non sunt ergo distinguendæ, nec multiplicandæ frustra.

21. Dices: Manente eadem causalitate materia, mutatur causalitas efficientis, ergo hæc causalitates distinguuntur. Probatur Antecedens, quia manente eadem materiâ sustentante formâ ignis, mutantur causæ efficientes; nam in primo instanti forma ignis producebatur ab alio igne, in secundo autem instanti producit à solo Deo. Respondeo, mutatâ causâ efficiente mutari etiam causalitatem materialem, quia hæc dependebat etiam à causâ efficiente siue vt terminus, siue vt via: & hoc verum est, etiamsi illæ causalitates distinguantur, vt in solutione quinti argumenti dixi.

Secundò obijciens: Actio & passio constituunt duo Prædicamenta, ergo distinguuntur realiter. In Metaphysicâ ostendam, plura Prædicamenta neque etiam ratione distingui inter se: vnde, quia actio & passio constituunt duo Prædicamenta, non inferitur, debere distingui non solum realiter sed nec ratione.

23. Tertio obijciens: Actio vt actio debet habere subiectum, sed hoc non potest esse ipsum passum, quia in hoc solum recipitur passio, ergo debet assignari aliud, ergo actio & passio distinguuntur, siquidem habent diuersa subiecta. Respondeo, actionem eductiuam, de quâ in præsentibus subiectari in passio, etiamsi distinguatur à passione, quia illa actio non potest habere aliud subiectum nisi ipsum passum, nam in agente non subiectatur, vt infra ostendam: in termino autem nequit subiectari, ne detur mutua causalitas, ergo

solum est subiectanda in passio, ergo hinc non potest deduci, eam distingui realiter à passio.

Obijciit rursus quidam Neotericus: Actio non est respectus ad agens, alioquin ipsum agens denominaretur ab illâ procedens à se ipso, quo nihil absurdus. Passio etiam non est respectus ad subiectum, aliàs denominaret subiectum recipiens se ipsum, ergo distinguuntur realiter. Patet consequentia, quia habent prædicata contradictoria, actio enim non respicit agens, illud verò respicit passio. Hoc argumentum nullius est momenti, & Primò quidem in eo hic Auctor sibi contradicit: ipse enim bene obseruat alibi, formam non cuiuslibet subiecto tribuere omnem suum effectum formalem, sed vni vnum, alium alij; ergo actio, licet sit respectus ad agens, non tribuet ipsi agentis denominationem respicientis agens, sed respicientis passum & effectum. Similiter è contrario, passio non reddet subiectum respiciens se ipsum, sed respiciens agens & terminum, & hunc tandem constituet respicientem subiectum & agens. Idem amplius virgo: Actio, etiamsi non respiciat agens, est tamen ex se emanatio termini; ergo quandoquidem ab illâ denominatur ipsum agens, debet denominari emanans, si forma præcedens argumenti bona est. Constat ergo, actionem & passionem respicere realiter omnia tria, scilicet agens, terminum, & subiectum. Imò et si realiter distinguerentur, quælibet tamen eorum deberet respicere, vt dixi supra in tertio & quinto argumento.

Rogabis, vtrum saltem ratione nostrâ distinguantur inter se actio & passio. Negant nonnulli, quia sicut idem est, etiam ratione nostrâ, obiectum videri à me, & me videre obiectum; ita idem est, formam educi à materiâ passiuè, & eam educere actiuè; ergo actio & passio etiam ratione sunt idem. Fuge æquiuocationem, fateor, idem esse ignem producere calorem, & hunc produci ab igne, sicut idem est me videre Petrum, & Petrum à me videri, vbi solum est differentia penes vocem actiuam & passiuam, non tamen est idem ratione nostrâ, imò nec realiter, me videre Petrum, & Petrum videri à Ioanne; quia non fit comparatio in ordine ad eodem terminos. Ita similiter, licet idem sit, materiam producere formam, & formam produci à materiâ, non tamen est idem, formam produci à materiâ, & Deum producere formam; quia fit comparatio in his diuersis vocibus actiuus & passiuus ad diuersas causas, vnde propter hoc argumentum rectè possent dici eas distingui etiam realiter.

26. Censeo igitur, eas distingui ratione, quia non est idem ratione nostrâ, concipere effectum productum ab hac causâ, & concipere illum productum ab alterâ: imò addo, in ordine ad potentiam absolutam non apparere manifestam repugnantiam in eo quòd detur aliqua passio realiter distincta ab actione, quod constat ex solutione contradictionum quæ afferri possunt, de quibus supra.

Hi Auctores cum hanc suam sententiam in scriptis traditam merito displicuisse multis vidisset, dixere, se locutos de actione eductiuâ, quæ vt talis non videtur distincta, nec ratione, à passione. Sed quis dubitat, sermonem eis solum fuisse de actione eductiuâ? nam creatura non solum ratione, sed & realiter distinguitur à causalitate

litate subiecti. Quæstio ergo est in actione eductiua, quæ simul est realiter actio & passio, & in hac dubitabatur, an hi essent duo conceptus saltem ratione nostrâ inter se distincti, integrantes vnâ actionem eductiuam. Hoc ab his negatum est propter exempla illa, *idem est me videre Petrum, & Petrum videri a me, &c.* ego autem apertè ostendo, eos conceptus esse ratione distinctos, propter comparisonem cum diuersis principis, quia actio comparatur cum efficiente, passio cum subiecto: ex quo capite etiam realiter poterant distingui, sicut, licet homo dicat animalitatem & rationalitatem, hæc tamen inter se ratione distinguuntur. ergo, licet actio eductiua sit quasi quoddam totum, in eâ tamen includitur emanatio ab efficiente, & emanatio à materiâ, quæ inter se ratione nostrâ adæquatè distinguuntur: & saltem debebant hi dicere, actionem eductiuam in hoc sensu inadæquatè distinguere ratione nostrâ à passione, tamquam includens ab incluso, & sicut homo ratione nostrâ distinguitur ab animalitate solâ. Sed rem intellige, quid autem voluerint hi dicere, non multum curo.

SECTIO IV.

De Causâ formali.

CAUSA formalis communiter definitur, *quæ per vnionem sui cum subiecto illi denominationem tribuit.* De hac definitione supra egimus Disputatione 111. de causâ formali, vbi ostendimus, eam non esse propriè causam respectu compositi; imò nec respectu subiecti, quia nihil in illo producit. Dixi, hanc definitionem communiter tradi, quia in re non datur sufficiens. 28 Ostendi enim supra, non esse proprium conceptum formæ, tribuere denominationem, quia eam subiectum tribuit denominationem formæ, vel saltem potuit: vt enim ostendi ex aduersariis, tribui vel non tribui denominationes formæ à materiâ, purè pendet à voluntate hominum; animam autem esse formam, & materiam esse illius subiectum, non pendet à voluntate hominum. Respondeo tamen, licet hoc non sit proprium formæ, esse tamen proprium illius, tribuere denominationem subiecto: per hoc enim verbum differt ab ipso subiecto, quod non tribuit subiecto denominationem, sed formæ. quid autem sit subiectum, dictum est supra, vbi subiectum per se, non in ordine ad formam (ne datur vitiosus circulus) definitum est.

De vnione formæ cum subiecto etiam egimus supra Disputatione 14. quâ ostendimus, eam vnionem distingui à formâ, & in illâ recipi vt in subiecto sustentationis: vnde respectu vnionis eodem modo est subiectum forma, sicut ipsa materia; & respectu vnionis applicanda sunt formæ, quæ Sectione 1. & 2. huius Disputationis de causâ materiali in communi diximus.

SVBSECTIO PRIMA.

Quomodo forma expellat sibi contrariam.

29 QVIA forma expellit aliquando per sui introductionem alteram formam, calor v. g. frigus, oportet explicare, quâ ratione contingat

hac expulsio formæ præcedentis ad ingressum nouæ illi contrariæ. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte videtur expulsio formæ præcedentis, esse dispositio ad formam subsequentem, ideoque & prior propter rationem communem omnibus dispositionibus, quæ præcedunt prius naturâ: ex aliâ verò parte expulsio formæ præcedentis videtur esse effectus formæ introductæ, & consequenter videtur posterior illâ.

PRIMA CONCLUSIO. Expulsio formæ præcedentis, & introductio subsequentis, sunt simul tempore. Probat, clarè, quia si prius tempore esset expulsio præcedentis, daretur in aliquo instanti reali subiectum sine vllâ formâ, quod prorsus repugnat: si verò expulsio esset posterior tempore ad introductionem nouæ, ergo in instanti ante illam expulsionem fuere simul in subiecto forma de nouo introducta, & forma antiqua illi contraria, quod naturaliter omnino repugnat. Imò, si pro vno instanti illæ due formæ inter se cohererent, non esset cur & non cohererent in sequentibus. Igitur dicendum est, illud instans reale, quo primò incipit esse forma noua, esse etiam illud quo primò incipit etiam non esse antiqua; ergo expulsio antiquæ, & introductio nouæ, sunt simul in eodem instanti reali temporis.

SECUNDA CONCLUSIO. Expulsio formæ præcedentis non est prior naturâ, sed posterior, ad introductionem subsequentis. Hac est communior inter recentiores, & facile probatur, quia non ideo introducit formam nouam, quia antiqua expellitur, sed potius contra ideo expellitur antiqua, quia introducit nouam; ergo prius naturâ est nouam introduci, quam antiquam expelli. Sed respondent nonnulli, oppositum opinantes, concedendo in ordine ad præuisionem Dei, & in futuritione prius esse introductionem nouæ expulsionem antiquæ; negant verò in facto esse. Pro quo aduertunt, Deum, qui per cognitionem operatur simul cum omnibus agentibus naturalibus, eo ipso quòd videat introducendam formam nouam præcedenti contrariam, teneri ei formæ locum præparare, expellendo contrariam: vnde, licet prius quasi in intentione sit introductio nouæ, in executione tamen prius est expulsio præcedentis, quam introductio nouæ: sicut si quis Regis aduentum sperans, domo eiceret habitatores illius, vt hospitium Regi præpararet, tunc in intentione & præuisione prior esset aduentus Regis, in executione autem prior esset expulsio aliorum è domo.

Hæc doctrina omnino displicet, tum quia durum in Theologiâ videtur concedere, Deum eicere prius naturâ gratiam, vt locum faciat peccato, quando aliquis iustus à gratiâ decidit; tum quia in instanti reali prioritas seu posterioritas naturæ solum est prioritas independentiæ & causalitatis. Certum autem est, causam expulsionis formæ præcedentis esse introductionem nouæ, & non è contrario; ergo prior est naturâ, etiam in executione, introductio nouæ, quam expulsio antiquæ, quia causa in executione debet esse prior suo effectui; imò solum requirit prioritatem in executione non autem in intentione.

Vt ergo & explico hanc impugnationem: Quia non potest à Deo præuideri existens non solum de